



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1431. usque ad annum 1441

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118316

§. 185. Creollium a Galliarum Rege captum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66426](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66426)

Sæcul. XV.
A.C. 1441.

§. CLXXXV.

*Creolium a Galliarum Rege
captum.*

Interea Carolus VII. Galliarum Rex a deo feliciter dissipata Principum conjuratione per universam Franciam sibi ingentem nominis sui gloriam conciliabat, propria experientia edoctus, nunquam secundo magis successu publicæ regnorum tranquillitati consultum iri, quam ubi præsentia Regis vel ardorem pugnae incendit, vel vecordiae pudorem militibus affundit, cunctisque vincendi fiduciam ingerit. Quapropter omnibus Campaniæ & Picardiæ perlustratis urbibus, rebusque tam militiæ, quam ærarii rite dispositis, ipse cum copiis suis in Compendiensem urbem movit, ut Creolium, Bellovacensis agri civitatem ad Orsiæ flumen sitam obsidione cingeret; eo igitur Predientium Cotinium Franciæ Admiralem, Vignolium Hiram, aliosque Belliciduces die decima octava Maji præmiserat, quos ipse secutus urbem nonnisi duodecim dierum obsidione pressam pactis cum hoste conditionibus deditione occupavit. Hac victoria auctus, Sylva-nectum, inde ad oppidum S. Dionysii progressus, ibi aliquamdiu substitit, dum in-

Sæcul. XV. terea ejusdem Belliduces Bellomenillam
A.C. 1144. Normanniæ arcem, necnon Bellomon-
 tium - Rogerii in potestatem suam rede-
 gerant. Andegavenfes quoque Nobiles
 quadringentorum, aut ferme quingento-
 rum Anglorum cohortem aggrediebantur,
 victosque Cenomanum usque fugere
 compellebant, ac potissima equorum suo-
 rum parte exuebant.

§. CLXXXVI.

Pontifara a Rege obsessa, ac expugnata.

Dies erat sexta Julii, qua Rex relicto
 S. Dionysii oppido, in Abbacia Mo-
 Maubousson buiffana haud procul ab urbe Pontifara
 diversatus est, comitantibus eum Carolo
 Andegavenfi, Cenomanensi Cornite, Con-
 nestabili, Augii, & Marchiæ Comitibus,
 aliisque quam plurimis Proceribus. Rex
 urbis hujus obsidionem parabat, verum
 Angli, quorum ferme mille ac ducenti
 præsidia agebant, confestim tam valido
 impetu erumpebant, ut ad ipsam usque
 Abbatiam penetrarent. Nihilominus
 his altera nocte ad sua redire compulsis,
 Galli urbis obsidionem aggressuri, lembis
 Orsiæ fluvium trajecerunt, atque Abba-
 tiam S. Martini victricibus armis occupa-
 runt.